

## Democritus

Rostochii: Kilius, 1656

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729950786>

Druck Freier  Zugang



Andreas Tscherning,

Democritus

Rostock 1656.

cf

6798

40

6f-6798  
40

89

25.

# DEMOCRITUS

Auctore

ANDREA TSCHERNINGIO

Prof. Poët.

Rostochii Typis Heredum Nicolai Kilii, Acad. Typogr Anno 1656.




HOLSATORVM  
LITERIS IN ACADEMIA  
ROSTOCHIENSI OPERAM  
STRENUÉ NAVANTIUM,  
IN  
SPEM SECVLI AC BONI PVBLICI,  
ORNAMENTVM CERTISSIMVM  
PATRIÆ, GLORIAM SVAM SVORVMQVE,  
AC POSTERITATIS,  
NATORVM

FLORENTISSIMO NOMINI

DEMOCRITVM ABDERITANVM,  
SED QVI  
ADDERITANÆ NON PECTORA  
PLEBIS HABEBAT

D. D. D.

Andreas Tscherningius,  
P. P.



DE MOCRITUS  
In publica Promotione Magistrorum  
exhibitus.



um modò Chalcographos Vates tot ubique fati-  
gent,

Parcere me miser & stulta est clementia Charta.  
Musa age, DEMOCRITI ingenium, qui sin-  
gularisit

Et curas hominum, nec non & gaudia vulgi,  
Et quantum cunctis in rebus inane notatur,

Interpres referam brevior: mihi publica vena  
Non prolixaplacet. Vos ergò, quotquot adestis;

Tu quem Magnificos nostri censura Senatùs  
Sustulit infasces; & tu, quem gloria secli  
Induit augusto Legati munere PRINCEPS.

Vos, ò Varniaci clarissima sidera coeli,  
Pompa Professorum, communes artium Atlantes.

Vos, qui de cathedra mysteria sacra docetis  
Æt hereosque sonos, & magni nomina CHRISTI:

Vosque Sacerdotes Juris: vos inclita CELSI  
Pectora; vos Sophia qui nomen habetis in Albo,  
Quod non ulla dies, quod nec ventura silebunt  
Lustra; nec obscurà teget unquam nube vetustas.

Tu que juventutis flos auree, pectora laudi  
Nata, renascentis spes & nova germina secli,  
Quod mihi polliceor, LINGUIS ANIMISQUE FAVETE!

A

CUR

Cur tamen hoc potius sede at decurrere circo,  
Sivatio à vobis admittitur ulla, profabor.  
Vix unquam patuit ridendi major in orbe,  
Materies, quàm quæ presenti nascitur ævo.  
Nam quotus, à tergo quem nulla ciconia pinxit?  
Sic in proclivè est rigidi censura cachinni!  
Lori pedem rectus didicit suspendere naso,  
Candidus Æthiopem, Cræsus locupletior Irum:  
Formà Thersten præstans, & mantica tergo  
Cernitur alterius, se nemo noscere tentat.

Hippocrates satagit ridendi querere causas,  
Cui bene Democritus: quos ingens circuit orbis,  
Quantumcunque hominum est, annon agrefcere sentis?  
Respice, nonne canes emit hic, emit ille caballos?  
Imperitis alios regit hic, se nescit: amicam  
Vxorem ducit, parvo post tempore clamat:  
Vxor vade foras: generatur plurima proles,  
Eijcitur, cum genua virent: fera bella quieti  
Anteferunt: Acheronta atrum, noctisque recessus  
Itur in imapia præcordia matris, ut aurum  
Prodiga gens anima querat venasque metalli,  
Et ferrum extundat, ferro non discolor ipsa.  
Mundus stultorum domus, & comædia vita:  
Ludius omnis homo est. Hæc & complura locutus  
Democritus sapiens; ad quæ mox ora resolbit  
Inclitus Hippocrates: non insanire videtur  
Democritus: non est illo sapientior alter.

Cum juveni Arcadico sub lævâ parte mamillæ  
Nil salit, & sapiens optat tamen ipse videri:  
Simia cum tegitur, ficit à sub pelle leonis:  
Cum quis pane solet pulmonem rumpere ventis  
Ipse sibi Sapiens, alium aspernatus ut umbram:

Cum

Cum Craterum magnos audit promittere montes,  
Re prestare nihil: cum sanctus saepe magister  
Quod vetat, ipse facit, nec vult fecisse videri:  
Cum Curios simulant, assertoresque Camillos,  
Quos barba dignos credas, dignosque capillis  
Majorum, qui foeta domi Dionysia vivunt,  
Discinctique terunt ad morem tempora Natta,  
Filius Abderarisi diludia poscit,  
Et picti nimium ridet tentoria vultus.

Cum ceras veteres, & nomina jactat avorum,  
Cujus in astragalis sita nobilitatis imago,  
Ridet Democritus. Quid enim tibi stemmata profunt,  
Majorumque jurat pictos ostendere vultus?  
Quamvis illustres decoret fortuna penates,  
Te tamen iccirco generosum dicere velle,  
Esset idem, ac n'anum nonnemo Atlanta vocaret.  
Ceu laudamus equum, cui primus in equore pulvis  
Cessit, & exsultat raucis victoria circo:  
Sic te censeris non longo sanguine malim,  
Sed virtute tuâ. nam sola atque unica virtus  
Nobilitat; miserum est aliorum incumbere fama.

Democritus ridet, quos insatiabilis auri  
Proluvies agitat, foedique insania lucri.  
Possideant, quantum rapuit Nero, semper egebunt.  
Inter opes inopes, nec enim vel fluctibus auri  
Expleri sitis illa potest, exhauserit Hermum,  
Fortius ardebit, nec eam satiarit arenis  
Tempesta pretiosa Tagi. Cum divite censu  
Insomnes longo appropereant examine cura,  
Carnifices anima. Sitiens ut Tantalus undas  
Captat, & appositis dapibus miser abstinet ora:  
Sic tanquam sacris & avarus parcere nummis



Cogitur, aut pictis tanquam gaudere tabellis.  
Ipse suum genium defraudans pene macescit  
Pannosam facem sorbens morientis aceti.  
Si partem sublegit opum piceata Laverna  
Autolyctique manus, videas majore tumultu  
Plorari nummos, quam dulcis funera matris.  
Strangulat haud paucos auri congestus aceruus,  
Exitioque dedit plures, merfitque barathro.  
Cum tandem moritur rugosis obsitus annis,  
Ducitur iratis plaudendum furus amicis.  
Ingeminat Sapiens naso crispante cachinnos.  
Unus Amyntiada quod non suffecerit orbis,  
Dum putat angusto concludi limite mundi,  
Cum tamen à sigulis munita stratus in urbe  
Sarcophago contentus obit, vilique feretro,  
Pulmonem risu Sapiens agitare solebat.  
Vivit adulandi gens prudentissima, pestis  
Humani generis, quæ nigra in candida vertit.  
Thersiten pulchrum laudat, doctumque Vacerram,  
Viribus invalidum magni cervicibus equat  
Herculis: exclamas ut vincere Stentora possis,  
Scurraper angustam te vocem dicet habere.  
Natio Comæda est. rides? tantum ille cachinno  
Non quatitur totus. lacrimas emittis? Et ipsi  
Rivi more fluunt: si poscas frigore prunas,  
Induit endromidem: sudat, si forte calefcis:  
Si bene ructasti, flexo mox poplite PROSIT  
Adclamat, nutusque tuos observat ad unguem.  
Qui genus hoc hominum soliti perferre, merentur  
Democriti risum. Cenat bene, lautus habetur  
Articus: at barathrum tempestatemque macelli  
Ridemus Rutilum, qui pauper lauta palato

Fercula,

Fercula, qui gustus elementa per omnia querit  
Helluo, quantumvis jam perluciente ruinâ.  
Scilicet appositas incurvant pondere lances  
Viscera rosta bonum, volucrumq; incognita mittit  
Phasis, & extremo qua pascit in æquore Nereus.  
At tu forte rogas, quis enim premat exitus? audi:  
Accrescente gulâ, sed deficiente crumenâ  
Ludius hic posthac ad miscellanea migrat:  
Pœnitet ante dies unctâ vixisse patellâ.  
Et quos non risus tunc pauper Apicius audit,  
Cui posita in solo fuit omnis vita palato?

Quis risum teneat, cum drachmis mille lucernam  
Emit Epicteti quidam, ratus (ô stupor ingens!)  
Se non dissimilem tanti Senis esse futurum,  
Si vigil ad pluteum streperet de nocte lucerna.  
Si quis Aristotelem, si quis monumenta Platonis  
Ut tantum paries ea, seu cenacula seruent,  
Non ut scripta legat, coëmar, falsumne meretur  
Democriti risum? si cui sint hispida membra,  
Horrida silva come, promissa ad pectora barba,  
Non nitor, at macies, neglecta & sordida vestis,  
PHILOSOPHUM dicas? sapiens QUIN QUERCIO ridet.

Invidia quos virus agit, sevisima pestis,  
Exitiale malum, Abdera deridet alumnus.  
Nam manet ipse sibi semper deterrimus hostis,  
Lividus, haud alium tolerat, seque ipse gradatur,  
Et patitur terris, quicquid passurus Averno.  
Pallor in ore sedet, macies cuncta ossa renudat,  
Felle viret pectus, lingua est suffusa veneno,  
Nec risu gaudet, nisi quem movere dolores,  
Nec somno fruitur curarum percitus æstro.  
Plancum monstrari digitis, & honore potiri,

In tenebris sese volvi sub mente retractat,  
Suppliciumque suum est. Sicuti, si vera fatemur,  
Tormentum gravius non invenerit tyranni.

Sunt quorum levibus videas flagrantia causis  
Pectora: namque animi vis excandescit in iram  
Indomitas imitata feras, & colligit ignes  
Vindictaque capit dirum sub mente furorem.

Quantulacunque adeo est occasio, sufficit ira.  
Democritus non dicit idem, nec mite Thaletis  
Ingenium, infirmi est animi damnosa voluptas  
Ultio; nec maris est, quàm tantum famina gaudet.

Cui non Candaulis moveat dementia risum?  
Reginam regnumque simul vitamque reliquit,  
Quod reticenda tori liquidà sub luce locaret,  
Uxoremque Gygi monstraret nobile monstrum.  
Non sani esse hominis facinus, non sanus Orestes  
Juret; ò Anticyris caput insanabile Regis!

Democritus ridet, cum Bruti nomen anhelat  
Nobile, qui potius dici Catilina meretur.  
Creditur hic Roma tantum Catilina fuisse?

Omne ævum tales, at non fert omne Catones.  
Commune simulant se promovisse salutem,  
Et privata suis fecerunt commoda rebus  
Fasque nefasque inter, nam limes nullus Honesti.  
Ne damneris inops, opus est ut munere palpes  
Judicis ingenium. miser es, si munera desunt.  
Notum est, quot Basilius, quot circum scripserit Hormus  
Pupillos, nam quisque manum, non respicit ora.  
Inde cutem curat, licet ipsi frigida mens sit  
Criminibus, tacitâq; fremant præcordia culpâ.  
Et sic iratis fruitur Diis, credite Cives,  
Expertus recito folium, pro more, Sibylle.

Ridet

Ridet Democritus petulanti splene cacinno,  
Rancida cum quadam balbâ de mare profatus  
Orator, qua pulmo animæ præ largus anbelet,  
Nec cassâ nuce pluris emas seu glande volumen.

Democritus censor nugarum ridet, & uncis  
Naribus indulget, quando convicia secli,  
Progeniem terra, natosque in fornice cernit  
Pulvinis equitum, vano sub Othone, sedere.  
Quando videt reptare aquilas, asinosque volare.  
Cum vervecum aliquem fascies, & eburneus axis  
Ereptum populo trahit ad fastigia rerum,  
Democritum sese videas diffundere risu.

Sunt risu digni, sunt digni stigmatæ fama,  
Qui sobolem sperant immunem labe Parentes,  
Cum soleant ipsi pueris ostendere mores,  
Qui nitidis maculam valeant adspargere rebus.  
Nam si forte patrem iuvat alea, ludit & hæres:  
Si pater ad sœvit lauto cenare paratu,  
Filius à larga non degenerare culina  
Bullatus cupiet, licet ipsi mille magistros  
Barbatos dederis: retinet, nebulone parente  
Quæ prius addidit puer. Esto, quod unus & alter  
For sitan hæc spernant juvenes, quibus indolis ardor  
Et melior mens sit, reliquos trahit orbita culpa,  
Et monstrata diu patrum vestigia servant.  
Dilacerantur opes, de pleno semper acervo  
Sumitur, ac veluti redidivus pullulet arca  
Nummus, nec reputant quanti sibi gaudia constant.  
Si mater, clades mala, naufragiumque pudoris,  
Conjugium thalamique fidem lasciva fefellit,  
Expectes, ut non & crimina tanta sequatur  
Filia, quæ thalamum temeranti conscia matri

Virgo

Virgo fuit; quæ vix tanto contexere cur su  
Maternos poterit mæchos, quin aëra ducat  
Ter decies? & sic exempla domestica prolem  
Corrumpunt vitiiis. Iccircò semper in aure  
Versetur veteris Jove digna paræmia Vatis:  
Nil dictu fœdum visu quæ hæc limina tangat,  
Intra quæ puer est, intra quæ forte puella.

Culpa penes (non falsa loquor) plerosque Parentes,  
Minxerit in patrios cineres si Filius, heret,  
Filius, Aonisin qui se Phœboque dicabat,  
Ingenuo culpam fas sit mihi figere ludo,  
Hoc etenim facinus longè majoris abollæ.

E gremio matris referens contagia morum,  
Mittitur in ludum. dictum feliciter: at si

Quid petulanter agit, prohibetur cura magistri  
Imperiumque sui. Si dat pro crimine pœnas,  
Advolat mater, ne, quando strenua fecit,  
Attingas puerum, clamat: si quid, mihi peccat.

Deinde venenata furiosa conitrua linguæ  
Evomit, haud aliter quàm si pannucia Baucis  
Discincto quondam cantaverit ocyma verna.  
Hinc ad sublimes rudis ablegatur Athenas:

Quò cum forte pedem posuit jam, protinus itur,  
Non ad Musarum fontes, ubi compleat aures  
Frugæ Cleanthæ: lyricen, juvenisque lanista

Quæritur, aut fisci quem consuetudo patronum

Nuncupat, illustres probrum est audire Solones,

Quod ne Pompejum puduit. Subsellia vitat

Publica, probrosum ne forte industria nomen

Contrabat à penna. Tanta est insania mentis,

Vt penna pudeat, Neptunum nempe tridentis,

Nauclem remi, cultorem ruris aratri,

Cultero-

Cultrorumque coqum. risum teneatis amici.  
 Nempe Neoclidæ Cleophantum imitatur ad unguem.  
 Qui praeclarus eques fuerat, sed cetera, vappa.  
 Postquam lux periit ludis luxuque protervo,  
 Labitur in somnos, oculisque ac pectore noctem  
 Accipit, & tanto requierunt membra sopore,  
 Ut non audierit vigilem sub culmine gallum,  
 Gallum, qui passis auras diverberat alis.  
 Mane ubi quasi defluxit corpore somnus,  
 Corripit è tepido languentia membra grabato,  
 Oscitat hesternum, quo dissuit undique malas,  
 Conclususque domi aut Boreæ penetrabile frigus  
 Disijcit ante focum, hesterno aut gurgite vini  
 Percussus nimium stomachi fastigia tollit  
 Vividior sapà: vel apricas, instar Achillis,  
 Nititur ad citharam cessatum ducere curas.  
 Si tantis quicquam potuit subducere rebus  
 Hoc intemperis nocturnis ventris alumnus  
 Deputat. Hinc noctem jurat infestare boatu,  
 Quo non ediderit majorem forte Perillus,  
 Ille opifex tauri, tormentorumque repertor.  
 Quassanturque fores, effringunturque fenestrae,  
 Unde metum fessis, gravidis caussantur abortum.  
 Heic comeduntur opes, quas Numinis instar habebat  
 Canities morosa patris, qui pauper in auro  
 Tum Simone domi panes ex jure relictos  
 Hesterno, consveta vorat stabilimina ventris.  
 Cura coquit juvenem, quali phantasmate pingat  
 Indumenta novis sibi versicoloria nugis.  
 Quod sub Sole alio felis pretiosa cacavit  
 Unctus olet, molli spirant opobalsama collo  
 Præterea digitos tereti circumligat auro:

B

Doctius

Doctius arte novâ refecatur forpice crinis:  
Consilium ad speculi, de forma crebrius itur:  
Sape diem fallit per pondus inane pilarum:  
Sape pares calicum furtim coiere trabones  
Decipiuntque diem vinis, dubioque fritillo.  
Denique succedit pereuntibus alea nummis  
Nec loculis tantum, posita sed luditur arca.  
Et qua caupones potanti pocula præbent,  
Scriptura duplicant. Mox sutor vellicat aurem,  
Aurifaber, sartor, fullo, & qui nequiter undam  
Miscuit in Bacchum, lorrix quoque, copa, lanista  
Exigit as sibi quisque suum morosus, & urget.  
Inde nepos duplici in diversum scinditur hamo,  
Ignarus quid agat. Postquam lux altera venit,  
Hæc alternanti potior sententia visa est,  
Scriber ad patrem. Qui perscribenda nepoti  
Dictitet, actutum famulo properante vocatur:  
Nequitia Consultus adest ad utrumque paratus,  
Fallere seu libeat, seu vera docere Parentes,  
O Trojam! ô patriam! ô Priamum! ô vos Pergama! quanto  
Pondere verborum videas mendacia cudi!  
Terribiles visurationes undique cogunt.  
Scribitur, infando pressum languore fuisse,  
Post aliquot noctes visum suprema minari.  
Quarum ad conspectum fere diriguere Parentes,  
Conturbati animi extemplo, gelidusque per ossa  
Horror iit, trepidis tritum illud Lemma probatur:  
Insignes animæ rarenter in orbe diurnant.  
Privari censu primâ se fronte queruntur:  
Ast ubi ritè putant impensôs ordine sumtus  
Scilicet in libros, nec non præscripta Galeni,  
Rursus ad ingenium redeunt, animosque resumunt

Filius

Filius eximie canat: Bene se, Bene amicam,  
Expressosque simul sua per mendacia nummos  
Exhibet, ut quendam ingenti splendore triumphum.  
Certatim adclamant socii: pulchre, bene, recte!  
Gaudent, quod nummis misere indigneque sepultis  
Haectenus, affulsit tandem crinitus Apollo.  
Ipse Thales vero rediens ad tecta Parentum  
Tempore, quo celebrant lurcones orgia Bacchi,  
Stipatus vel mille libris ad limina prostat,  
Corrugat faciem, jactat caput, edita turgent  
Ora superciliis, & legum plaustra minatur.  
Tunc cita de studiis infit: sese usque fuisse  
Discendi cupidum: pra morbis omnibus esse  
Id sibi duntaxat senio, quod scire juvenis  
Gestiat, at raros cathedra de ponte docere.  
Credit dicenti pater, & stolidissima mater  
Mucosum ac simplex animal, quae lippit amore  
Filioli, accusat seclum, nigrumque Lyceis  
Inter anus similesque sui praefigere theta,  
Sed sine mente solet, Natumque ad maxima credit  
Tendere, frustrari ingenium tam nobile, cuique  
Esse suum carum: a primaevo limine vite  
Spes amplas fecisse suis patriaque saluti.  
Quod non Aeliden Ithace; non Ithessala tempe  
Aeciden, Telamoniadem Salaminia rupes,  
Non antiqua Pylos felicem neetare lingua  
Nestora, nec domina Atridas tenuere Mycenae,  
Hic quoque diffundit mentem, quaqua patet Orbis,  
Stare loco nescit, cupiens individere terras  
Externas, navim scandit. materque precatur;  
Aelii fratres, quorum sub numine pontus,  
Hoc nostrum servate decus, cui junctus Apollo est!



Ad Gallos igitur festivus Puffio transit,  
Ut cernat quantum noſter mutaverit orbis  
Et ſeculi diſcat faciem moresque: ſed ille,  
Inſtar avis matutina criſtatus ad ades  
Natales, ſua regna, redit, dum vertitur annus.  
Troſſulus ergò domi, magnà applaudente catervâ,  
Excipitur, mixtoq; ingens exorta tumultu  
Letitia, adcurrunt agnati & pallida nutrix.  
Quod ſi biſſenas Gallorum denique voces  
Singultim exſudare poteſt, operaque Patroni  
Fungier, actutum relinuntur doliavini.  
Tertius è cælo cecidit Cato, plaudite Cives,  
Moſſe novas incide faces, mox ducitur Vxor,  
Nascitur & ſoboles fatuo condigna parente.  
Iccircò vigilate viri, quos æquus amavit  
Juppiter, à fungis etiam ſententia fertur  
De nobis: quis non contenderet ilia riſu?  
Ridet Democritus criſpanti nare poëtas,  
Et decet hos meritò riſus rugoſaque ſanna.  
Qui verrucosis hodie compingere talis  
Aut ſenos aut quinque pedes ex ordine novit,  
Protinus egregium ſe ſomniat eſſe poëtam,  
Quem non ſcribendi cacoëthes carmina mulcet,  
Carmina, que non ima ſoli, neque ſidera tangunt?  
Calvitiem ſolitus Cæſar abſcondere lauru,  
Crassa poëtaſtris ſpecioſè inſcitia lauri  
Frondebis occultitur. rarò quod nomine, re ſunt.  
Laurigeros multos, paucos eſt cernere Phæbos.  
Publica nonnulli COMITES in commoda peccant,  
Qui Vates de plebe creant, dulcedine lucri.  
Fabula ſit pueris, & vulgi nexia laurus.  
Quid faciamus enim? crudeſcit hic undique morbus

It jam

*Vt jam Pœonias nequicquam admoveris herbas.  
Interea in questu bona pro meretrice pœsis  
Naturæ sedet alma soror, & filia cœli.  
Quis cum Democrito non rideat ipse pœtas?  
Jam vitio seclî nomen servile pœta est:  
Ad nutum alterius ridere ac flere tenetur.  
Non ego diffiteor, thalamo quod pronuba præstat,  
Præfica funeribus, quod amori lena, pœta  
Illud ubique sumus. Sunt qui sua somnia narrant,  
Ilicet ætutum res carminis esse putatur.  
Vix hodie librum quisquam, vix carmen in auras  
Ediderit, nostros opus est præfigere versus,  
Ne solus pereat, secum trahit ipse pœtam.  
Vidistis pueros filo deludere bruchos,  
Delphorum similes, gens officiosa, machæris  
Nos sumus, ut nervis alienis mobile lignum  
Ducimur, & graviter pecces, si forte negabis.  
Nec mihi quod fuerit placitum atque arriserit ultro  
Fingere, sive sequi naturæ semina fas est,  
Ipsam materiem, numeros & verba docebunt.  
Vix quod Grammatico, licitum est audere pœta  
Eligat ut numeros, & verba accommoda jungat,  
Adventumque Dei expectet sacrumque calorem.  
Deficit interdum magni Jovis armiger ales  
Nec rostro nec ab ungue valet: fortuna pœta  
Est eadem. interdum languent ad carmina vires,  
Torpescunt sensus, credas migrasse Camænas,  
Nil Musæ veteris, doctæ nil subvenit artis,  
Spiritus ille faces donec sub pectore versat,  
Insinuat venis, perque omnes diditur artus.  
Tanta est ingenii, præsentis tanta Dei vis!  
In tempestivo tamen omnes tempore poscunt.*

Nec doctas tantum manet hac insania mentes,  
Carmina sollicitant sculptores, deinde sequentur  
Auriga vereor, gensque audacissima nauta.  
Vidi offerre aliquos, & vidi poscere nummos,  
Conductusque fuit pretio furor ille poeta.  
Scilicet in Cai placuit jurare Magistri  
Sordes, qui primus nostra fuit institor artis,  
Cum divam, ingenii famosus caupo, Monetam  
Cum Musis coleret; gratis Heliconam movere  
Pœnituit, pretio nihil unquam vena negavit.  
Ille frequens Hiero Romane gentis amicus  
Quas non elargitus opes & dona poeta?  
Integra corrasit caro patrimonia versu.  
De tanto nobis hodie nihil ere periculi est:  
Tutamur facile nostros hoc tempore mores.  
Nemo ferè Regum est, qui non præ Vate jocosam  
Cercopithecorum malit nutrire Cohortem.  
Scipio non hortos hodiè, non prædia donat  
Mecenas, non Cræsus opes auferre poetas  
Nunc jubet, ingenti quos semper fovit amore,  
Sunt alii longe satrapæ numerique minoris,  
Qui nos insomnes faciunt traducere noctes.  
Hi poscunt, instantque graves & multa rogando  
Occidunt Vates, neque salvâ posse negari  
Carmen amicitia, gens insulsissima credit.  
Qui non Democritus distenderet ilia risu?  
Quos nimium fama sitis importuna laceffit,  
Quique rudi candam norunt jactare popello,  
Nempe meras pelves, & tintinnabula mundi  
Ex omni merito nosser QUIN QUERCIO ridet.  
Sunt, nec rara seges; quorum suspirat honores  
Creata ambitio, sed nullos jure mereantur,

Qui

*Qui tamen usque adeo tituli tanguntur amore,  
 Ut prece, vel pretio redimant crepitacula fame.  
 Virtutem (ò mores!) faciunt ludumque jocumque,  
 Qui cauponari titulis & honoribus audent.  
 DOCTRINA solidi & VIRTUTIE parantur honores,  
 Non prece, non auro. Sic Vos virtute probastis  
 Doctrinamque VIRI JUVENES, & pectora Phæbi.  
 Non vos (testor enim) non vos odiosa Minerva  
 Ambitio docuit vanis insistere curis;  
 Nec populi plausus, stolidi nec murmura vulgi  
 Traxerunt aliam Musarum à limite mentem:  
 Sed generosus amor veri, dulcisque libido  
 Virtuti sacros Sophiæque evolvere libros  
 Detinuit, sanctoque infecit pectus Honesto.  
 Sumite nunc meritis quaesitum sumite fastum:  
 Sumite, qua Vobis debentur digna laborum  
 Præmia: sed sedeat tamen usque Modestia menti:  
**QUI CREVISSE PUTAT, SE NON MERUISSE FATETUR.***

**SENECA**  
 De Tranquillitate animi  
 CAP. XV.

**I**N hoc itaque flectendi sumus, ut omnia vulgi vitia non invisa  
 nobis, sed ridicula videantur: & DEMOCRITUM  
 potius imitemur, quam HERACLITUM. Hic enim  
 quoties in publicum processerat, flebat: ille ridebat, huic omnia,  
 qua agimus, miseria; illi ineptia videbantur. Elevanda  
 ergo omnia, & facili animo ferenda. humanius est deridere vi-  
 tam, quam deplorare. Adijce, quod de humano quoque genere  
 melius meretur, qui ridet illud, quam qui luget. Ille spei bone  
 aliquid relinquit: hic tamen stultè desset, qua corrigi posse  
 desperati & universa contemplatus, majoris animi est,  
 qui risum non tenet, quam qui lacrimas.

*Ad*  
**HOLSATOS  
STUDIOSOS.**

**O** dilecta mihi, dilectaque NOMINA Musis,  
Deliciæ patrii vota que magna soli,  
Sumite DEMOCRITUM, sed læto sumite vultu:  
DEMOCRITUM minimè frons caperata decet.  
DEMOCRITI vicegratus ero, SIGNATE QUIRI-  
TES!

Nec pactam fallam decipiamvè fidem.  
Quicquid in arte mea studii promittere possum.  
In vestræ fructum commoditatis erit.  
Hæc voti sit summa mei, servire Juventæ:  
Hujus amo damnas ambitionis agi.  
Mutuus adsit amor, sit vobis cura poetæ.  
Ne queat officii poenituisse, cavet.  
Sic florete diu, sic vobis, Corcula Phœbi,  
Quævis ex voto concolor hora fluat!  
Sic juvenes porrò feliciter ite per annos,  
Quos liquet ingentes reddere posse Viros.  
Faxit Jöva, precor, terris ut & ILLÈ perennes  
FRIDRICUS patrii DUX que CAPUT q̄s soli!  
Orate, ut Parcæ fusos evolvere parcant:  
Ducitur ex isto stamine vestra salus.  
SI BENE PRINCIPIBUS, DIADEMATICQUE  
MONARCHIS  
AUSPICIIS LÆTIS SUBDITA TURBA VIGET.  
A. T.

**N**E pagella sequentes vacua relinquerentur, opera visum  
fuit adijcere POENITENTEM incomparabilis Germano-  
rum poëta OPITII, Civis mei quondam conjunctissimi, in  
poëmaris Ejus, quod ego sciam, hæctenus nondum repertum.,  
quem ex M. B. P. R. Latino in vernaculum elegantissimè, id est,  
more suo, transtulit.

### Der Bußfertige.

**I**ch / den die tieffe Nacht der Sünden hat begraben/  
Den starcke bande hart und fest umbwickelt haben/  
Bin nicht wie Lazarus nur unter einen Stein/  
Zur Erden eingesenct / mein faules Grab muß sein  
Der Leib / darinnen ich steintodt bin noch bey leben.  
Die Zunge würde schon kein wort mehr von sich geben/  
Kein Fuß der regte sich / die Wangen weren bleich/  
Kein Auge kñnte sehn der güldnen Sonnen Reich/  
Die Luft und was hier ist: Doch daß in meinem leibe/  
In dieser Sündenhaut / ein leben noch verbleibe  
Geußt Christi gürtigkeit mir neuen Athem ein/  
Und läßt mein antlitz sehn den klaren tageschein.  
Was seh' ich armer doch? ich muß nur Jäsel tragen/  
Muß schleppen meine last / darein ich bin geschlagen;  
Die rechte Delila / die wollust nimmt mich zwar  
In ihre falsche Schooß / und hat doch auff mein haar  
Die Schäre schon gewekt. Dis schnöde Haus der Seelen  
Der Leib liegt hart und bloß in tieffen wilden hölen/  
Die Eicheln speisen mich: ich hab' aus mir ein Schwein  
Durch Uppigkeit gemacht / und muß bey Schweinen sein.  
Ich weis den Vater noch / ich will nach Hause kehren/  
Bekennen meine Schuld / vergießen wahre Zähren:  
Hat jener blinde Mann vom reiche Siloe  
Die Aug' wieder kriegt / so soll der Thränen see  
Auch sehn. issen von mir ab die flecken meiner Sünden.  
Ach! das mich armen doch so schwere Ketten binden/  
Und lassen mich nicht forr! die Eisen / dieses Band

E

Magst

Machst du nur einzig auff mit deiner Gnadenhand/  
O Vater/ und o Gott! wann wir uns nur befeissen  
Zu suchen deine Krafft/ so kanstu von uns reissen  
Egypten und sein joch: umb Mosen bitter ich nicht/  
Umb deine gürtigkeit; ihr Himmereiches Licht  
Soll mein begleiter sein/ durch Furcht und Nacht zu bringen/  
Ihr stab soll trucken mich durch Wind und Wellen bringen/  
Soll heißen für mir stehn das rohre Wunder Meer/  
Und gießen seine Flut auff meiner Feinde heer.  
Ich bin der Zuversicht/ bey meines Vaters süßen  
So bald ich heimgelangt/ die Ubelthar zu büßen/  
Zusagen dieses Wort: Mein Trost/ verzeihe mir/  
Ein Sinn der büßen kan der trägt mich her zu dir.  
Ich hab' es grob gemacht/ du hast mir viel gegeben/  
Das ist nur gank und gar mit einem wüsten leben  
Sehr übel durchgebracht/ es ist nur gut und zeit  
Verlohren / aber doch noch nicht Barmherzigkeit.  
Ich kehre herglichen umb/ laß meine heiße Zähren  
Die du mir auch verleihst/ dich wieder zu mir kehren/  
Seh Vater/ wie du bist/ vergönne mir dein Haus  
Gieb mir den Ring der Gunst/ und stoß mich doch nicht aus.  
Ich will beständig sein/ du wirst mir ja verehren  
Ein himmelblawes Kleid/ das keine zeit verfehren/  
Kein Dieb nicht stehlen kan/ hab' ich dis Kleid allein/  
So soll der Purpur mir zu schlecht und nichtig sein.









**N**E pagella sequentes vacua relin-  
fuit adycere POENITENTEM  
norum poeta OPITII, Civis mei quon-  
poëmaris Ejus, quod ego sciam, hæc  
quem ex M. B. P. R. Latino in vernacu-  
more suo, transtulit.

### Der Bußfertig

**I**ch / den die tieffe Nacht der Sünden  
Den starcke bande hart und fest umbwi-  
Bin nicht wie Lazarus nur unter einen Stei-  
Zur Erden eingesenckt / mein faules Grab  
Der Leib / darinnen ich steintode bin noch b-  
Die Zunge würde schon kein wort mehr vo-  
Kein Fuß der regte sich / die Wangen weren  
Kein Auge könte sehn der güldnen Sonnen  
Die Luft und was hier ist: Doch daß in m-  
In dieser Sündenhaut / ein leben noch ver-  
Geußt Christi gütigkeit mir neuen Athem e-  
Und läßt mein anlitß sehn den klaren tagesse-  
Was seh' ich armer doch? ich muß nur Jä-  
Muß schleppen meine Last / darein ich bin gef-  
Die rechte Delila / die wolkust nimmt mich  
In ihre falsche Schooß / und hat doch auff m-  
Die Schäre schon gewekt. Dis schnöde  
Der Leib liegt hart und bloß in tieffen wilder  
Die Eicheln speisen mich: ich hab' aus mi-  
Durch Uppigkeit gemacht / und muß bey E-  
Ich weis den Vater noch / ich will nach Hau-  
Bekennen meine Schuld / vergießen wahre  
Hat jener blinde Mann vom reiche Siloe  
Die Aug' wieder kriegt / so soll der Thran  
Auch sehn. Iffen von mir ab die flecken mein  
Ach! das mich armen doch so schwere Ket-  
Und lassen mich nicht forr! die Eisen / die see

era visum  
is Germa-  
tisßimi, in  
repertum,  
ßime, id est,

elen

Magst

